

Ideo de statu patrie nunc occurrit querere:

Utrum cives celestis curie personas divinas sive essentia beatifice valeant cognoscere. Arguitur quod sic cives celestis curie valent cognoscere beatifice obiectum beatificum nihil cognoscendo quod non facit ad statum beatificum, igitur. Antecedens videtur notum de se. Sed patet consequentia, quia persone divine nihil faciunt ad statum beatificum, quia persone divine non addunt perfectionem simpliciter ad essentiam nec bonitatem aliquam, et per consequens nec rationem beatificam, tum quia pater non esset perfecte beatus in illo priori originis quo precedit Filium in quod intelligit essentiam suam absque personalitate Filii, tum quia pater intelligendo beatifice dependet a filio obiective, igitur.

Ad oppositum arguitur sic: essentia non potest cognosci a viatore sine personis, igitur nec videri beatifice. Antecedens fuit prima conclusio 34 quaestionis. Sed patet consequentia, quia cum beatus perfectius et clarius videat divinam essentiam quam viator perfectius necessario videt quicquid est idem cum ipsa quam faciat viator etc.

Respondeo sequendo viam superius positam quaestione 24, ponendo tres conclusiones. Prima conclusio, quod cives superne patrie essentiam divinam absque personis beatifice nequeunt cognoscere. Probatur tripliciter: Primo sic: essentia divina cum personis est una res simplicissima, igitur. Antecedens patet per decretalem de summa trinitate et fide catholica, capitulo 'damnamus'. Sed probatur consequentia, quia oppositum consequentis infert oppositum antecedentis. Sequitur enim essentia beatifice cognoscitur et non persona, igitur essentia cum persona non est res simplicissima.

Secundo sic: si conclusio non esset vera sequeretur quod aliquis posset esse beatus non videndo Deum. (75ra) Consequens falsum per omnes theologos. Consequentia probatur, quia sequitur 'Socrates non videt Deum patrem, nec Deum filium nec Deum spiritum sanctum, igitur non videt Deum'. Patet, quia nihil est Deus nisi Pater et Filius et Spiritus Sanctus, igitur quis posset beatifice videre essentiam et non videre vel cognoscere Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esset beatus et non videret Deum.

Tertio sic: quodcumque sunt aliquae due res nullum numerum penitus ponentes ab aliquo intellectu una non potest videri sine alia, sed essentia et persona sunt huiusmodi igitur. Patet maior, quia oppositum predicati infert oppositum subiecti. Sequitur enim 'cognosco A et non cognosco B, igitur B aliquo modo distinguitur ab A, igitur ponit in numerum cum A. Et maxime si utrunque ipsorum sit aliquid. Et minor patet expresse per Magistrum in ista distinctione 34.

Item per Decretalem de summa trinitate et fide catholica, capitulo 'damnamus'. Ista etiam conclusio satis clare potest deduci ex prima conclusione, quaestione 24 et ex eius probationibus.

Contra istam conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: cives superne patrie alio et alio actum vident essentiam et personas, igitur. Patet consequentia, quia ad visionem beatificam non requiritur nisi unicus actus intellectus et unicus voluntatis, ut potest patere ex quaestione 3, igitur unum illorum actuum poterit Deus annullare manente alio, ut puta actum visionis personarum manente actu visionis essentiae. Sed patet antecedens, quia impossibile est beatum unico actu cognoscere essentiam et personas, quia tunc unus et idem actus ex se simul esset representans absolute et relative, quod non videtur verum de aliquo actu finito, quia tunc de illo

actu per se predicarentur diversa predicata, et sic divisio predicamentorum non esset per immediata. Patet ista consequentia, quia essentia est quid absolutum et persona quid relativum.

Secundo sic: si conclusio esset vera sequeretur quod nullus beatifice posset videre divinam essentiam quin videret omnes creaturas in ipsa representatas. Consequens falsum, quoniam de facto multi beati angeli videbant divinam essentiam tempore incarnationis Christi, qui tamen non viderunt Christi incarnationem. Et patet consequentia, quia essentia divina tanta necessitate representat creaturas in ipsa relucentes sicut ipsas personas, quia dato quod creaturas es- (75rb) sentia divina posset non representare Deus ipsas creaturas posset non cognoscere.

Tertio sic, per divinam potentiam essentia divina potest beatifice videri absque omni illo quod non est de eius ratione vel conceptibilitate, sed nulla persona divina est de ratione essentie, igitur. Maior patet, quia illud non implicat. Probatur minor, quia in primo signo originis in quo pater precedit Filium, pater intelligit divinam essentiam, alias acquireret intellectionem et per consequens perfectionem ex generatione filii, quod non est dicendum. Sed in illo priori non intelligit divinam essentiam in persona filii, alias falsum intelligeret cum non sit in ea, igitur divina essentia est conceptibiliter absque persona filii, et eadem ratione absque persona patris et absque persona spiritui Sancti. Et potest confirmari ratio, quia essentia est aliquid absque personis, igitur. Consequentia nota. Patet antecedens per Augustinum, 7 De trinitate capitulo primo dicentem quod omne quod relative dicitur est aliquid preter illud quod relative dicitur. Cum igitur pater in divinis dicatur relative, pater erit aliquid preter illud quod est pater. Et cum hoc non possit intelligi nisi de essentia, sequitur quod essentia est aliquid preter patrem, et sic de qualibet alia persona.

Respondeo. Ad primum nego antecedens. Immo dico quod unico actu vident essentiam et personas. Ad probationem dico quod non est inconveniens de absoluto et respectivo, que sunt una res simplicissima, sicut est in divinis. Vel dico quod non sequitur quod ille actus sit absolutus et respectivus, quia non sequitur 'Socrates cognoscit patrem Iohannis, igitur actus Socratis est relativus, vel cognoscit relationem, igitur cognitio Socratis esse relatio, sicut non sequitur 'Socrates cognoscit substantiam, igitur cognitio Socratis est substantia'.

Ad secundum dico aliqua. Primum est quod essentia divina est necessario representativum creaturarum. Patet, quia aliter Deus non cognosceret creaturas antequam essent. Dico secundo quod essentia divina non representat necessario aliquam creaturam alicui creature. Patet, quia omni creature potest non representare. Dico tertio quod sibi ipsi necessario representat omnem creaturam. Patet per oppositum. Dico quarto quod videns divinam essentiam et videns in ipsa creaturas aliquas ex hoc ipsas videt quia essentia (75va) ipsas eidem representat.

Dico 5 quod videns divinam essentiam et videns personas non ex hoc videt personas, quia essentia representat personas tanquam speculum. Sed propter hoc quod ipse persone sunt indivisibiliter ipsamet essentia quod non sic est de creaturis ibidem representatis. Ex hiis patet ad argumentum.

Ad tertium negatur minor. Ad probationem cum dicitur quod illo signo originis in quo pater precedit filium pater intelligit divinam essentiam et non in filio, qui nondum est, dico quod immo in illo signo intelligit eam in filio aut numquam intelliget. Et si intelliget ex filii productione pater acquireret perfectionem. Et ideo dico quod prioritas originis non est prioritas in qua aut prioritas precessionis ut imaginantur. Sed solum est prioritas ex qua et posterioritas est esse ab alio illo iuxta illud Augustini libro 3 contra Maximinum, capitulo 15, dicentis quod

cum dicitur filius a patre genitus ostenditur ordo nature non quo alter altero prior sit, sed quo alter sit ex altero. Ad confirmationem dico ad Augustinum dicentem quod omne quod relative dicere etc., quod vult dicere quod omne per relativum est aliquid preter ipsum connotative, ut puta pater est aliquid preter patrem connotative, quia est filius connotative. Vel potest concedi quod essentia divina est aliquid preter patrem. Non sic quod sit distincta a patre, sed quia est aliquid quod non est pater, quia est filius et spiritus sanctus sed ex istis non sequitur intentum.

Secunda conclusio est quod cives celestis curie unam personam absque alia beatifice non valent cognoscere probatur tripliciter. Primo sic, cives celestis curie unam personam sine essentia non possunt beatifice cognoscere, igitur nec unam personam sine alia. Patet consequentia ex precedenti conclusione, quia non potest cognosci essentia sine omnibus personis, igitur si ad cognitionem unius persone sequitur cognitio essentie, sequitur quod ad cognitionem unius persone sequitur cognitio omnium personarum. Sed probatur antecedens, quia non maiori identitate essentia est idem simplicissimum cum personis quod econverso etiam idem antecedens posset probari per tres rationes factas pro prima conclusione.

Secundo sic, persone omnes divine sunt per se obiectum visionis beatifice, igitur. Consequentia nota, quia impossibile est excludi ab obiecto beatifico quod per se facit ad beatitudinem obiective. Sed probatur antecedens, (75vb) quia da oppositum, scilicet quod persone divine non sint per se obiectum beatitudinis. Sed per accidens sequitur primo quod non plus esset beatificum videre personas divinas quam creaturas ibidem representatas. Item sequitur quod pater et filius et spiritus sanctus non erunt res quibus fruendum est cum nullo modo fruendum sit illo quod accidit obiecto fruibili quod tamen est contra Magistrum distinctione 1 primi. Item sequitur quod divine persone non essent a nobis adorande adoratione latere quia solum debet adorari in via id quo finaliter debemus frui impropria, quod est contra Gregorium dicentem "in personis proprietas, et in essentia unitas, et in maiestate adoretur equalitas". Item quod magis tenetur viator diligere essentiam quam personas, que omnia sunt falsa.

Tertio sic, omnes tres persone sunt una res simplicissima igitur consequentia nota. Quia oppositum consequentis infert oppositum antecedentis. Et antecedens habetur expresse libro 1 Decretalibus de summa trinitate et fide catholica, capitulo 'dampnamus'. Ista conclusio est de mente Christi dicente Iohannis 14, *Philippe qui videt me videt et patrem meum quia ego et pater unum sumus*. Sed forte diceres quod Christus loquebatur de facto et non de possibili. Contra: omnis propositio conditionalis vera tenet veritatem alicuius universalis necessarie, sed ista *qui videt me videt et patrem meum* fuit una conditionalis vera, quia tantum valet sicut ista 'si quis videt filium videt et patrem', igitur debet tenere veritatem alicuius catholice universalis necessarie quem erat ista 'omnis videns filium necessario videt et patrem'.

Item Anselmus De processione spiritus sancti ait cum inquit Christus *qui videt me videt et patrem* non est separandus spiritus sanctus quoniam qui videt hoc in quo sunt unum pater et filius et spiritus sanctus non potest videri unum de hiis tribus sine aliis duobus. Ista conclusio potest probari per argumenta facta pro secunda conclusione quaestione 24.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic, quaelibet persona divina est per se perfectio infinita simpliciter, igitur. Consequentia nota, quia omne quod est per se perfectio infinita simpliciter per se potest esse obiectum debitum nostre fruitionis cum omne tale per se nostram mentem possit satiare, sed antecedens patet per secundam et tertiam conclusiones quaestione 36.

Secundo sic: essentia divina potest beatifice videri absque perso (76ra)nis, igitur. Consequentia nota, quia maiorem identitatem habetur essentia cum personis quam una persona cum alia. Sed probatur antecedens, quia essentia habet propriam entitatem et unitatem, igitur et cognoscibilitatem. Patet consequentia, quia sicut se habet res ad esse, ita ad cognosci. Sed probatur istud antecedens, scilicet quod essentia habet propriam unitatem, quia aut in tribus personis est una essentia, aut plures, aut nec una, nec plures. Non potest dici quod plures, quia esset error separantis substantiam. Nec potest dici quod nec una, nec plures, quia tunc Pater et filius non essent unus Deus, nec plures, quod est erroneum. Restat ergo quod una essentia sit in tribus personis. Et per consequens quod divina essentia sit aliquid unum habens propriam unitatem, igitur et propriam entitatem.

Tertio sic: una persona potest agere, alia non agente, igitur. Consequentia nota per locum a minori, sed antecedens probatur, quia una potest mereri alia non merente. Mereri autem est agere. Patet hoc de filio, quia merebatur patre non merente. Et confirmatur, quia una potest pati et mori, alia non patiente nec moriente etc.

Respondeo. Ad primum, cum dicitur quod quaelibet persona per se est perfectio infinita simpliciter, dico quod hic li 'per se' potest dupliciter intelligi, uno modo per se, id est non per accidens, et sic concedo antecedens et nego consequentiam. Alio modo per se sine alio, vel sine aliis personis, et sic nego antecedens. Et ratio est quia una persona non potest esse nec intelligi sine alia, ut patuit secunda conclusione, quaestione 24. Tum quia una simplicissima perfectio est quaelibet persona sicut et una simplicissima essentia.

Ad secundum, dico quod essentiam habere propriam unitatem potest intelligi dupliciter. Uno modo quod essentia sine personis dicatur una et sic est falsum, quia essentia preter tres personas nihil est. Alio modo quod habet propriam unitatem, scilicet que unitas non est alterius rei quam sit ipsa essentia. Et sic concedo quod essentia habet propriam unitatem que unitas non est aliud quam pater et filius et spiritus sanctus que sunt ipsa essentia et ex hoc patet ad argumentum illud.

Ad tertium, nego antecedens. Ad probationem, quia una potest mereri etc., licet hoc Paulus concedat et neget consequentiam, tamen non potest dici aliter, (76rb) scilicet quod nulla persona divina ratione persone potest vel potuit mereri, quia ad hoc sequeretur quod potest vel potuisset perfici, dico igitur quod sicut pati et mori locum mutare et predicare et tales actiones Cristo competant non ratione deitatis, sed ratione humanitatis assumpte, sic et actio meritoria non igitur proprie merebatur persona divina nisi per communicationem ydiomatum et hoc nihil ad propositum, et per hoc patet ad confirmationem.

Tertia conclusio est quod cives celestis curie essentiam divinam sine attributis beatifice non valent cognoscere.

Probatur tripliciter. Primo sic: cives celestis curie non valent unam personam absque alia beatifice cognoscere, igitur. Consequentia nota, quia non minori identitate attributa identificantur essentie quam una persona alteri. Antecedens est precedens conclusio.

Secundo sic: oppositum conclusionis contradi<c>tionem implicat, igitur. Consequentia nota virtute primi principii. Probatur antecedens, quia si ponatur quod essentia videatur beatifice et non attributa, quero aut atributa sunt totaliter aliud quam sit essentia aut sunt aliquid quod est essentia et aliquid quod non est essentia aut sunt totum illud quod est essentia. Non potest dari primum quia oppositum probatum est quaestione 25 conclusione secunda et contra Magistrum libro 1 distinctione octava et 33. Nec secundum, quia tunc aliquid quod est Deus

esset compositum et haberet partem et partem, cuius oppositum ponit Magister distinctione 8 libro primo¹, igitur oportet dari tertium, sed istud tertium implicat scilicet quod A sit totum quod est B et econverso et A videatur et B non videatur, quia tunc sequitur quod eadem res insimul ab eodem videatur et non videatur.

Tertio sic: essentia divina ab attributis precisa non habet rationem obiecti beatifici, igitur. Consequentia nota, probatur antecedens, quia illud a quo prescinditur ratio boni non habet rationem diligibilitatis, nec per consequens fruibilitatis. Bonum autem sive bonitas est quoddam attributum, similiter ratio infinitatis est quoddam attributum, sine ista ratione obiectum non habet rationem fruibilitatis, cum primum finitum voluntatem humanam possit quietare. Et confirmatur, quia implicat quod aliquis sit beatus in simul et ingratus sicut quod sit beatus et peccator (76va) igitur quilibet beatus necessario recognoscit a Deo beneficium sibi factum, igitur cognoscit Dei misericordiam erga se, sed misericordia est quoddam attributum, igitur.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: potentia habens actum finitum circa obiectum infinitum et illimitatum non potest eum comprehendere secundum totam suam illimitationem. Patet, quia da oppositum, iam actus ille esset infinitus. Sed intellectus omnium beatorum est finitus et habet actum finitum circa divinam essentiam que est obiectum infinitum, igitur non potest eum comprehendere secundum totam suam illimitationem, et per consequens non secundum rationem omnium perfectionum attributalium cum sint infinite.

Secundo sic: beatus potest frui divina essentia sub ratione unius attributi et non sub ratione alterius, igitur. Consequentia patet, quia non est maior ratio de uno quam de alio. Sed antecedens probatur sic: obiectum voluntarium continens in se verissime aliqua attributa distincte conceptibilia, ita perfecte sicut si essent realiter distincta potest se ostendere intellectui sub ratione unius et non sub ratione alterius. Sed essentia divina est tale obiectum, igitur. Maior patet, quia ex eo ponitur obiectum voluntarium, quia ostendit se quando vult et quantum vult. Si autem tale obiectum haberet et in se aliqua attributa realiter distincta nulli dubium quod posset ostendere sub uno et non sub alio. Si igitur eque perfecte continet illa ac si essent realiter distincta, hoc idem facere poterit. Sed minor patet scilicet quod essentia divina sit obiectum voluntarium, scilicet rationalis creature, quia quicquid agit ad extra mere contingenter et libere agit etiam continet perfectiones attributales eque perfecte ac si essent realiter distincte immo perfectius, igitur.

Tertio sic: essentia divina realiter distinguitur ab attributis, igitur. Consequentia nota, quia totum fundamentum dicte conclusionis est oppositum dicti antecedentis. Sed probatur antecedens, quia illa que sic se habent quod unum potest cognosci alio non cognito illa distinguuntur realiter. Sed sic est de esse essentia et de attributis. Quod patet, nam omnes philosophi cognoverunt Deum ratione naturali, non tamen cognoverunt omnia eius attributa, ut puta non cognoverunt eum esse infinite potentie intensive. Nec omnipotentem, quia non cognoverunt eum ex nihilo aliquid posse facere immo fere omnes crediderunt oppositum, scilicet quod de nihilo nihil posse fieri. Igitur ipsa distinguuntur realiter (76vb) ab essentia.

Respondeo. Ad ista argumenta dico primo quod si aliquid probarent solum probarent quod essentia divina posset videri sine attributis, sed non quod beatifice. Secundo dico quod omnia argumenta fundantur in uno falso, scilicet quod in Deo sit pluralitas attributorum quod

¹ libro primo] ar trebui libri primi

reputo falsum, quia tunc in Deo non solum esset numerus ternarius sed etiam quaternarius et quaternarius immo tot numeri quot nominibus Dei perfectio valet exprimi quod est contra Decretalem de summa trinitate et fide catholica capitulo 'damnamus'. Unde imaginor quod sicut secundum aliquos intellectus et voluntas et memoria in anima nostra non sunt aliqua tria, sed solum sunt essentia ipsius anime, que quando intelligit dicitur intellectus, quando vult dicitur voluntas. Et sic de memoria. Ita imaginor suo modo de attributis, scilicet quod iustitia, sapientia bonitas etc. sint in Deo solum unum attributum et una perfectio simplicissima que tamen propter diversa connotata a nobis diversis nominibus nuncupantur ut potest patere ex prima conclusione quaestionis 25. Dico etiam ad quodlibet argumentum per se.

Ad primum concedo conclusionem, scilicet intellectus beati non potest ipsam divinam essentiam comprehendere, sed ex hoc non sequitur quin omnia attributa id est significatum per omnia nomina attributalia valeat cognoscere. Et cum dicitur quod non, quia talia sunt infinita patet ex dictis quod non, cum sint unum simplicissimum attributum, quod tamen attributum bene est infinitum, et infinita perfectio sicut est ipsa essentia. Et si dicatur quod actus finitus non potest in obiectum finitum. Dico hic aliqua. Primo quod actus infinitus potest in rem finitam, ut puta creatio activa producit creaturam finitam. Secundo quod actus finitus econverso potest in rem infinitam ut actus quo Deus diligitur a nobis in via vel in patria. Dico tertio quod actus infinitus non potest in rem finitam, quin in maiorem et perfectiorem. Dico quarto quod actus finitus non potest in rem infinitam modo infinito, sed solum finito. Ex hoc patet ad argumentum primum.

Ad secundum, nego antecedens. Cum una sit ratio formalis cuiuslibet attributi, ut patet prima conclusione quaestione 25. Ad probationem nego maiorem si talia non sint realiter distincta. Nec valet consequentia ista 'A continet B,C, D, eque perfecte ac si essent distincta realiter, igitur potest ita ostendere B sine C sicut si essent realiter distincta, sicut non valet 'anima est ita perfecte intellectus, voluntas et memoria ac si illa (77ra) essent realiter distincta, igitur possum intelligere voluntatem et non intellectum cum illa sint una res, immo dico quod illa infinita identitas attributorum cum essentia facit quod unum illorum sine alio videri non potest.

Ad tertium, negatur antecedens. Ad probationem dico quod sicut philosophi cognoverunt Deum ita cognoverunt eius potentiam et infinitatem, cum idem sint. Unde infinitam Dei potentiam cognoverunt, sed non crediderunt se cognoscere infinitam potentiam ut dictum est tertia conclusione quaestione 24.

Ad argumentum in principio questionis nego consequentiam, quia volo quod persone divine per se faciant ad beatitudinem, tunc ad probationes quando probatur quod non. Quia persone divine non addunt perfectionem etc., dico quod non addunt, sed sunt una simpliciter perfectio cum essentia. Ad secundam probationem, quia tunc patet in illo signo priori etc. Patet per responsionem ad tertium argumentum contra primam conclusionem. Ad tertiam cum dicitur quod tunc pater intelligendo beatifice dependeret a filio obiective, dico quod hoc non sequitur, sed bene sequitur quod non est beatus absque filio etc.